

Joannes Lipavich post pestem Tragurium rediens composuit

Salve terra tuo populo privata, diu quae

crudeli morbo languida facta sedes,

Salve iterum quoniam pestis demissa periclo es

et quia concessa est iam tibi grata quies.

Salve etiam quod nec metuit te nec fugit hospes 5

securus iam te quisquis adire potest.

Pulcra prius fueras Veneta vel pulcrior urbe

quae velut in coelo candida luna nitet,

magnifica et quamvis stet lucida marmore et auro

non est illa tamen te mihi cara magis. 10

Tu mihi sola decens, tu cara et pulcra videris,

judice me nulla est anteponenda tibi.

Tu mihi te referas tam dulcem tamque suavem

et tam jocundam miror ut ipse quidem

an sum percupidus te. Longo tempore vixi 15

a te, luce mea, dissociatus enim.

An dolor et morbi graviter quos passa fuisti

te reddunt quod sis carior inde mihi.

Ac velut alba dies in noctem vertitur atram,

cum venit ex alto sceva procella mari, 20

insurgunt tenebrae, ventorum magna furit vis,

mixtaque cum crebro fulgure grando ruit,

at postquam boreas incumbit pulsu ab antro

Aeolio, tum nox atra repente fugit,

Sol redit et radiis armatis undique terram 25

illustrans subito cuncta serena patent.

Post tempestates exactas splendidior lux

semper et apparet tunc speciosa dies.

Sic tu, Tracurium, dulcis mea dulcis alumna,

cara prius fueras, at modo immo magis	30
en semel atque iterum flectis mea lumina tectis,	
nec possis oculos persatiare meos.	
Est opere pretium sic te spectare locatam	
et modo mirari, qualiter ipsa mones.	
Te vaga percurrens circumfluit unda marina,	35
ne prope te veniat barbarus hostis equo.	
Te pons a dextra levi de marmore ductus	
te quoque planities lata decorat ibi.	
Illic circumstans ortorum copia magna	
herbarum vario semper odore virent,	40
desuper est campus famosus nectare Bacchi,	
hic legitur dulcis ficus et una frequens,	
mellifluae fruges hic pendent arbore multa,	
hic micat et sacra Pallade pinguis ager,	
parte sed a leva Cerers iacet insula dives,	45
cuius arant totidem iugera mille boves.	
Te igitur mediam divino munere nutrit	
hac seges hac Bacchus fertilitate sua.	
Tu procul excelsum templum templique cacumen	
erectasque aperis candida terra domos,	50
tu tribus ostendens ornatam turribus arcem	
invitas cives ad sua vota tuos.	
Hospitium dignare tuum prebere fugatis	
iam satis est nobis te sine longa dies.	
Adventu et nostro nimium letaris amica	55
praesertim domini qui tibi iura dabit.	
Hic Vincislaus de Rippa quem loquor hic est	
cuius in aeternum fama perennis erit,	
justicia populo miseris pietate vir iste	
nam placet et superis religione deis.	60

Gaude igitur postquam Veneti decreta senatus

hunc tibi pretorem constituere virum.

Hic est ille quidem fatis promissus ab aevo

aurea qui reducet secula prisca tibi.

Plebs ammissa cito reparetur germine prolis,

65

quae tibi felices afferat usque dies.

Progeniem Lucina novam iam duplicet et iam

pensa trahit Lachesis de meliore colo.

Salvator mundi sic anuet aure benigna

non meritis nostris sed pietate sua.

70

Finis.